

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis primi - Fasciculus primus): Vol. I.

London, 1806

Seite 54

12

DIANDRIA MONOGYNIA.

## SALVIA.

*Linn. G. Pl. 17. Juss. 111. Gærtn. t. 66.*

*Corolla inæqualis. Filamenta transversè pedicello affixa.*

*Semina quatuor, nuda.*

### TABULA 15.

#### SALVIA POMIFERA.

SALVIA foliis cordato-lanceolatis undulatis crenatis reticulato-venosis incanis, calycibus trilobis obtusiusculis.

S. pomifera. *Linn. Sp. Pl. 34. Willden. Sp. Pl. v. 1. 130. Vahl. Enum. v. 1. 225.*

S. cretica frutescens pomifera, foliis longioribus incanis et crispis. *Tourn. Cor. 10. It. v. 1. 30. cum icone.*

*Φασκομηλιά hodiè.*

In collibus apricis et asperis Cretæ. In Græciâ vulgaris. *D. Hawkins.* Floret Julio. ♀.

*Frutex* bi- vel tri-pedalis. *Caulis* lignosus, erectus, ramosissimus; ramis oppositis, tetragonis, incanis, foliosis, apice floriferis, erectis. *Folia* opposita, petiolata, patentia, lanceolato-oblonga, obtusa, undulata, crenata, subrevoluta, reticulato-venosa, utrinque tomentoso-incana, basi cordata; floralia minora et subsessilia. *Petioles* foliis triplò aut quadruplò breviores, triquetro-lineares. *Verticilli* tres aut quatuor, ex axillis foliorum superiorum, sæpiùs sexflori. *Flores* brevissimè pedicellati, magni, formosi. *Calyx* infundibuliformis, nervosus; basi pubescens, resinoso-punctatus; margine trilobo, lobis dilatatis, obtusiusculis, membranaceis, coloratis, reticulato-venosis, integerrimis, obsoletè mucronulatis, superiore majori. *Corolla* calyce triplò ferè longior, ringens, dilutè violaceus: labio superiore fornicato, retuso, integro, extùs pubescente; inferiore quadrilobo, repando, anticè albido, purpureo guttato. *Stamina* longitudine labii superioris, arcuata, anticè appendiculata. *Antheræ* versatiles, incumbentes. *Stylus* filiformis, arcuatus. *Stigma* bifidum, acutum.

Odor foliorum gratè aromaticus, pungens, ad Lavandulam accedens. Gallæ globosæ, apice folioso-crispæ, intùs carnosæ, succo acido aromatico repletæ, in tenellis ramulis, Cyniphis cujusdam ope, nascuntur. Hæ saccharo conditæ in deliciis Cretensium habentur.

a. Calyx cum pistillo.

c. Tubus corollæ, abscisso limbo, stamina in fauce gerens.

b. Corolla integra cum staminibus.